

Et paulo post: „Sic igitur Christus verus est Deus et seruus atque equidem vilissimus omnium peccatorum. Quomodo autem seruus? Secundum humanitatem. Nunc autem, quia diuina et humana natura copulatae sunt in vnam personam et Christus reuera est Deus et homo, ideo dicitur etiam Filius Dei
 5 seruus noster. Ergo recte et diuinitus opinor factum in grammatica, vt quaedam vocabula dicantur concreta, quaedam abstracta. Sic recte dico: ‚Diuinitas non patitur, humanitas non creat.‘ Hic loquor de abstracto et de separata diuinitate. Sed non hoc faciendum est, non separanda abstracta sunt, alioqui fides nostra falsa est. Sed credendum est in concreto: Ille ho-[74r:]mo est
 10 Deus. Hic propria et attributa recte manent. Humanitas non creat scilicet in humanitate separata vel seorsim posita, si de ea sola loquimur. Sic econtra diuinitas non moritur. Ideo hoc loco de abstracto tacendum est prorsus, quia fides docet hic nullam esse abstractionem, sed concretionem, coniunctionem et copulationem vtriusque naturae. Quapropter de hac re loquendum est vt de
 15 concreto: Filius Dei conseruat omnia, filius virginis conseruat coelum et terram, Filius Dei moritur, patitur, filius virginis moritur, patitur. Sic loquitur scriptura, quod diligenter obseruemus, vt hoc loco seruus dicitur exaltari etc. Nam natura seorsim sumpta est serua, sed eadem est coniuncta cum diuina. Ergo eadem persona vocatur Filius et aequalis Deo in natura humana non per
 20 se vel seorsim, sed in illa concretionem, de qua dicuntur omnia. Quae possunt dici de diuina natura dicuntur in concreto et de altera, scilicet vnita in vnam personam.

Haec sunt ipsius scripturae non nostra, quia vocatur brachium domini, Filius Dei. Sed quia est vnitus cum natura humana, recte dicitur ascendere, mori,
 25 pati etc. propter illam vnionem. Haec vbique diligenter considerentur in prophetis, vbi simpliciter loquitur scriptura vt de homine, tribuens ei omnia humana, humanas passiones et quaecunque possunt de ea natura dici non secundum abstractionem, sed concretionem. Stulte igitur et ridicule Nestorius quaerit, quomodo Deus potest nasci. Et diaconus eius clamabat coram
 30 [74v:] populo: ‚Non tu Iudae crucifixisti Filium Dei, quia non potuit crucifigi.‘ Populus nouo sermone est attonitus, cum hactenus audiuisset suos episcopos ex scriptura docentes 1. Corinth. 2: ‚Nunquam dominum gloriae crucifixissent.‘ Hunc diaconum sequitur Nestorius. Sed contra hunc synodus pie decreuit, vere dici virginem θεοτόκον, vt etiam in superioribus scriptoribus
 35 legebatur, quia peperit non separatum hominem quasi seorsim ipsa haberet filium et seorsim Deus suum Filium, sed eundem, quem ab aeterno Deus genuit, peperit ipsa in tempore. Ergo virgo non tantum est mater Christi vt concedit Nestorius hoc verbo ornans suum venenum, sed Filij Dei, qui idem passus, crucifixus, mortuus est sicut dicit angelus: ‚Quod ex te nascetur, vocabitur Filius Dei.‘ Haec dico ad confirmandam fidem nostram contra sathanae praestigias. Nestorius facit duas personas, duos filios, alterum natum ex virgine, alterum natum ex Deo, cum dicit: ‚Non crucifixisti Filium Dei, sed
 40 filium virginis.‘ Haec non possumus pati, sed docemus concretionem et vni-

Discrimen propositionum in concreto et abstracto.

Contra diuisionem personae.

Maria θεοτόκος.